

nardianus edit. *Opp. Paris.* 1690. T. V. p. 735. praefixa hac crisi Mabillonii: *Non est Bernardi Episcopus universosque Praelatos fratres appellare, quanto minus diabolos &c. ut fit in isthoc Sermonne.* Quoniam vero in editione illa Praefatio deest, eam hic adtexam. *Rogasti me iam sepius o cultor pauperum christi deuotissime quatenus sermonem Bernhardi abbatis clareuallensis in concilio remensi ad episcopos habitum litteris demandatum tibi transmitterem quod ualde difficile immo impossibile pene mihi uidetur. eo quod non solum ante tot annos. uerum ab heri et nudius tertius audita si arcius memorie non recondantur. facillime obliuioni tradantur. Quindecim quippe anni transacti sunt. ex quo synodus illa habita est. (Habita est anno 1148. anno itaque 1163. haec scripta sunt) Sed quia deuictus tua fide que per dilectionem iam frequenter bonum operata est in me negare nequeo quidquid postulaueris. rogo te per caritatem christi ne me ista distasse sinceritati tue prodas. neque commendatum tibi sermonem alieno uel inuido communices. quia non uerbum ex uerbo uti tunc in sermone isto prolata sunt. sed seriem materiei vix tenere potui. Itaque cum consedisset sacer ille. conuentus. et ut uerum fatear pre multitudine archiepiscoporum. episcoporum. abbatum. prepositorum. et aliorum clericorum pene innumerabilis. stans supra memoratus abbas a dextris pape uenerandi eugenii indicto silentio sic exorsus est.*

CCXLIV. VII. C. 25.

Codex chartaceus lat. Sec. 18^a XV. Folior. 207. f. per duas columnas scriptus complectitur sequentia: I. Commentaria D. Hieronymi in *Jeremiam* hac inscriptione miniata: *Incipit Prologus beati Jeronimi presbiteri ad eusebium In explanationem Iberemie prophete. Post explanationem duodecim prophetarum &c. Finis: Dedit dona hominibus.* Legitur T. IV. *Opp. edit. Vallars. col. 833. II. fol. 98. Incipit explanacio in lamentationes ieremie prophete. Liber I. de primo alphabeto et secundo per Jeronimum.* Initium Praefationis: *Habes in lamentationibus ieremie quatuor alphabeta &c. usque ad illa uerba: per quem uenitur ad regnum sempiternum,* excerptum est ex Hieronymi epistola ad *Paulam*, quae habetur edit. *supracit. T. I. col. 144.* et totus hic *Tractatus* libris III. constans, *Hieronymo*que falso adscriptus extat inter *Supposititia* T. V. edit. *Maur. col. 801.*

III. fol. 121. p. 2. absque titulo sequitur *Hieronymi* *Explanatio in Danielem.* Praefatio incipit: *Contra prophetam Danielem duodecimum librum scribit Porphirius &c. Ultima Commentarii, qui edit. Vallars. T. V. col. 617. legitur, uerba sunt: quid ei respondere debeamus.*

IV. fol. 157. Commentaria in *Cantica Canticorum* absque titulo. Initium Prooemii: *Donum sapientie cum Salomone poscente a uero pacifico postulata consequi &c.*

Honorii Augustodunensis sunt, legunturque in *Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1153.* sed Scriptor noster fortasse *Tribemium* secutus hanc clausulam miniatam subiecit: *Explicit Orosius super cantica finitque per manus Pauli de Slawikowicz Anno domini M^oCCCC^o XVIII^o feria III in die anne qui pro tunc vices gerebat in Gyczin.* Verum cujus? sacrine Curionis? Finis praeterea Commentariorum ab impressis abludit. Nam post verba: *et separatio bonorum ac malorum,* adtextitur lacinia 9. *linear.* parum, ut videtur, pertinens, hoc initio: *Ascendens autem in altum captivam duxit captiuitatem &c.*

V. fol. 195. *Articulus tertius,* isque, ut in margine additur, *principalis* majoris cujusdam Operis de *Versionibus Bibliorum* absque Autoris nomine. Initium est hujusmodi: *Stabilita siquidem translacione Jeronimi tamquam uera, in duobus articulis prelibatis, superest ad tertium procedendum, istum videlicet, Vtrum sicut Jeronimo licuit ab hebreo et greco in latinum transferre sacrum cano- nem, ita liceat ipsum in alias lingwas minus principales et famo- sas transferre.* Et quamuis iste articulus in temporibus patrum nostrorum nullatenus in dubium uertebatur, modo uero tam grandis dubitacio oritur super illo, quod duo ualentes doctores huius kathedre quasi in ista materia totum tempus lecture sue consumebant, quorum unus ad articuli partem negatiuam arguebat per aliquot ar-

*gumenta, alter uero succedens ad articuli partem affirmatiuam arguebat nescio per quot argumentorum uigenarios. Neuter tamen apperuit scole quid uoluerit vltimate in materia articuli diffinire. In pertractando igitur hunc articulum sic procedam. Primo quidem recitabo quedam argumenta primi doctoris. Secundo adiciam plura de proprio ad partem articuli negatiuam. Et 3tio pro modulo meo soluam argumenta que fiunt ad oppositum articuli antedicti. Atque haec quidem XXIV. Capitibus strenue exequitur. Anglum esse Autorem et quidem Oxoniensis Academiae Doctorem, omnia persuadent, praecipue, quod pro Bibliis anglice vertendis depugnet unice, tum, quod gentis illius autores complures, puta: *Bedam, Rog. Baconum, Rich. Hampolium, Rich. Armachanum, Ranulphum Higdenum Cestr.* in subfragium vocet. Tempus scriptionis inde eruitur, quod c. VIII. haec legas: *Bone memorie dominus Willelmus* (Johannem vocat *Tanneri* *Bibl. p. 711.*) *Thoresbi* archiepiscopus eborac. quartus a presenti fecit fieri per quendam reuerendum uirum cognomento *gaitrik* quendam tractatum conscriptum in uulgari in quo continentur articuli fidei, in quo etiam de septem peccatis mortalibus pertractatur, de septem operibus misericordie, quem tractatum per paginas precepit laicis ad eorum instructionem &c. Idem legas ex vet. Mspto apud *Tannerum* cit. *John Thoresby* archbishop of *York* did draw*

draw a treatise in English by a worshipful clerk, whose name was Gatrike, in the which were contain'd the articles of beleve, the VII dedly Sinns, the VII works of mercy, the ten commandments. And sent them in small pagines to the commin people to learn it &c. atque hinc suspiceris, Tractatum nostrum etiam anglice redditum extare in Cottoniana p. 92. n. 71. sub titulo: De versione Scripturarum in linguam vernaculam, Anglice, ex libro in bibliotheca Wigorniensis, et in Bodlejana p. 180. n. 3901. An ancient Ms. concerning the Translation of the Scripture into English. utrobique absque Autoris nomine, quod hac ratione vel ipsis ejus Popularibus mansisset ignotum. Verum, ut ad scriptio- nis tempus redeam, cum autor Thoresbium quartum a presenti Archiepiscopum nominet, liquet, eum sub Roberto Waldby scrip- sisse; hic vero Eboracensēs infu- las suscepit 1396. et, ut tardissi- me, 1399. morte destituit. An- sam porro scriptio- ni dedisse vi- dentur anglicae Johannis de Trevisa, et Joh. Wiclefi Bibliorum Versiones, quae haud multo an- te per regnum diditae non iisdem omnium studiis excipiebantur; quo pertinet illud Antonii a Wood L. II. Antiquit. Oxon. p. 95. Quod quidem Opus (Joh. de Trevisa) ut periculi illa tempestate plenum, sic temerarium potius, quam uti- le fuit. Sed earum causam agit Noster, multaque de linguarum genio, de linguae Anglicae aevo

suo conditione, de Interpretis officio &c. adfert, quae palam legi mererentur. Juvat quaedam excerpere. C. 3. Latini quia u- detur eis latinum suum sufficere, grecum, quod est ydioma excellen- tius, recusarunt. Sic etiam gram- matici nostri temporis linguam gal- licam, qua priores grammatici con- struere solebant, ex toto tamquam sibi inutilem deserunt, sicque mul- ti optant, quod fieret in placitis (Placet, libellus supplex) nostris gallicanis. C. 8. Quid queso placet tibi dicere de gallicis, teutonicis et hispanis, qui omnes in suo vul- gari habent, et habuerunt bibliam a tempore, cuius memoria non exi- stit. — Audiui a quodam venera- bili viro allemanno, quomodo qui- dam flamyngus Jacobus de Mer- land appellatus transtulit totam bibliam in suum flandricum, super quo a suis emulis impetitus curiam Romanam petijt, ubi facta propo- sitione precepit papa librum exami- ni tradi, quod et factum est. De- mum autem comperta est transla- cio tam fidelis, quod dimissus erat libere in confusionem emulorum. — Narrat idipsum Jac. Ufferius in posthuma Hist. dogm. Scriptu- rar. et Sacror. vernac. p. 195. ex fragm. Bibl. Wigorn. unde ma- gis confirmor Codicem Cotton. suprac. nostrum esse Tractatum. Ipse habeo vnum libellum de ex- positione euangeliorum quampluri- morum per anni circulum in vetu- stissimo anglico, quod uix aliquis hominum iam viuencium sufficien- ter intelligeret propter imixtionem linguarum alienarum nostro angli- co.

co. Anglofaxonicum puto. C. 14. *Greci in loquendo utuntur articulo, latini vero non — utuntur et gallici articulo, anglici vero multis articulis, et tamen, quod dicimus in anglico, possumus exprimere in latino, ideoque audiui, quando in scholis grammatilibus eram, quod, quando aliquid prius dicebatur in anglico, quod postea diceretur in latino, solebat a magistro dici: transfer mihi hoc in latinum, quod melius, ut mihi uideatur, dicitur, quam quod diceretur, sicut multi dicunt: fac seu compone mihi istam latinitatem. &c.*

Codicem utrinque ambit *Diploma* membraneum, quo *Petrus de Tassnowicz* Canonicus Ecclesiae S. M. V. in *Wolfframskirchen*

et Rector Ecclesiae Parochialis S. M. V. — — *Paulum de Slawikowicz*, qui Codicis hujus partem, ut vidimus, scripsit, Baccalarium in artibus Universitatis *Pragensis* autoritate sibi a magnifico et potenti domino *Ganfrido de Barra Comite Palatino* delegata Tabellionem creat. Delegatio data est *Rome apud sanctam Mariam in transyberim. Anno Domini millesimo Trecentesimo Sex — — (1363) Indiotione prima die prima mens. Octobr.* Ganfridum Δουανυ Scotum habeo.

Denique in utraque theca interiori extat *Fragmentum Poematis ethici* in titulos miniatos, ut videtur, olim divisi. En specimen:

Quod omnia veniunt de quinque fluminibus.

Omnis peccati sunt fontes quinque notati

Omne genus sceleris de quinque fontibus exit

Primus fons est cor hominis meditatio prava

De quo procedit hanc delectatio firmat

Consensus sequitur et rem deducit in actum &c.

CCXLV. VII A. 8.

26 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 333. f. max. quondam *Matthiae Corvini* digna hoc Principe magnificentia, seu calamus, seu penicillum auro coloribusque divitem spectes, adornatus. *Fol. 1. pag. 2.* hic Titulus in eleganti pictura literis aureis quadratis adparet: *In hoc Volumine continentur Comentariorum Divi Hieronymi in Ezechielem Prophetam.* Supra scutum *Hungariae*, infra Leo stans erectus et

dextro pede anteriori coronam praeferens conspicitur Insigne paternum *Comitatus Bisztricensis.* *Fol. 2.* frontispicium artificiosissime pictis Provinciarum Scutis, aliisque parergis splendidum hanc auream exhibet epigraphen: *Incipit Prologus Sancti Hieronymi in Ezechielem Prophetam ad Eustochium.* Litera initialis S. Patris imaginem habitu Cardinalitio continet. Ita et quivis XIV. Librorum ornatum suum in fronte habet. Ad calcem Calligraphus insignis nomen suum adjecit: *Nicolaus*